



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN


**Die XXIII. Julii. In Festo Sancti Liborii Episcopi, et  
Confessoris**


**[Paderborn], ca. 1793**


---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60433](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-60433)

IUV  
1510  
-A







A  
P  
r  
e  
a  
C  
n  
d  
e

DIE XXIII. JULII.  
IN FESTO  
SANCTI LIBORII  
Episcopi, et Confessoris.

---

AD I. VESPERAS.

*Psal. de Dominica* Dixit Dominus, et  
*loco ultimi dic. Psal.* Laudate Dominum  
omnes gentes.

*Ant. 1.* Liborio plaudat Gallia, quae  
tantum virum edidit: felicior nunc Ger-  
mania, cui Corpus illa credidit.

*Ant. 2.* Beatus cui Martinus adfuit in  
dulci transitu, vocatus Vir divinus caeli  
superno monitu.

*Ant. 3.* Dum sancti Viri spiritum caeli  
fufcipit Curia, felicem ejus obitum signa  
praedicant varia.

*Ant. 4.* Deum laudent in Liborio, le-  
prosi, coeci, claudi, quos reddit adjuto-  
rio, salutis, luci, gressui.

*Ant. 5.* Felix Paderae civitas, in qua  
refulget hodie, ille, quem caeli bonitas  
ornat signis quotidie.

*Capitulum. Eccli. 44. 17.*

Ecce Sacerdos magnus, qui in diebus suis  
placuit Deo, et inventus est justus, et in  
tempore iracundiae factus est reconciliatio.

## HYMNUS.

Franciae quondam decus, atque lumen,  
Quem colit Sartae, Paderaeque flumen,  
Huc ades nobis ope sanctiori,  
Dive Libori.

Tu Vir in terris humilis, pudicus,  
Nec levis mundi vitiis amicus,  
Visus es jugi pietate sursum,  
Tendere cursum.

Tu Sacerdotum decus, atque forma,  
Factus es Cleri, Populique norma:  
Et quod externe tua vox monebat,  
Vita docebat.

Larga mendicis bona contulisti:  
Pro Dei cultu solitus fuisti  
Aere non parvo fabricare claras  
Numinis aras.

Nunc Deo junctus, superisque Divis,  
Alta caelorum super astra vivis;  
Inde nos moestos, miserosque dulci  
Munere fulci.

Te, Deus simplex, pariterque trine,  
Caelitum laudet chorus absque fine:  
Ac tibi semper canat ampliores  
Laudis honores, Amen.

V. Amavit eum Dominus, et ornavit eum.

R. Stulam gloriae induit eum.

*Ad Magnificat Antiph.*

Sacerdos et Pontifex, et virtutum opifex, Pastor bone in populo, ora pro nobis Dominum.

### ORATIO.

Omnipotens sempiterne Deus, qui Ecclesiam tuam in Confessione Sancti Nominis tui solidasti: praesta, quaesumus; ut quae Sancti Liborii Confessoris tui, atque Pontificis annua recolit Solemnia, ejus apud te suffragiis ab omni mereatur adversitate liberari. Per Dominum.

### AD MATUTINUM

#### *Invitatorium.*

Adoremus Christum Regem Pontificum: \* Qui meritorum gloria famulum suum decoravit Liborium.

### HYMNUS.

Qualis Agnorum per aperta Praeses  
Gnavus, et numquam vigilare deses,  
A suis arcet gregibus ferorum  
Ora luporum.

Sic Cenomanis (ubi praefuisti)  
Praesul, ac Pastor bonus extitisti,



Subtrahens illos Sathanae furori,  
Sancte Libori,

Post, ubi caelum fueras adeptus,  
Et Beatorum gremio receptus,  
Paderae tellus tenuit refossa  
Corporis ossa.

Hic in electa Statione, dignis  
Te Deus fecit radiare signis:  
Hic dabas aegris ope destitutis,  
Dona salutis.

Saepe tunc surdis patuit medela,  
Saepe tunc mutis rediit loquela,  
Saepe tunc coecus stupuit refusum  
Luminis usum.

Imo jam tristi prope morte functi,  
Aut in extremis oleo peruncti,  
Hic receperunt rediviva tritae  
Munera vitae.

Sis, precor, nobis, Deus alme, praesto:  
Cumque de vivis rapiemur, esto  
Praemium nobis, animaeque munus,  
Trinus, et unus. Amen.

*Psalmi, et Versic. (nec non et Responso-  
ria Horarum) ex Communi Confessoris  
Pontificis.*

IN I. NOCTURNO.

*Ant. 1.* Liborius ab infantia Deum ti-  
mere coepit, et virtutum praestantia  
semper deinceps crevit.

*Ant. 2.* In disciplina Domini hic permanens assidue, mox dicat ejus nomini Hostiam sanctam quotidie.

*Ant. 3.* Postquam vir Dei Pavacius ad caelum fuit evector, in loco suo Liborius voce una fuit electus.

De Libro Ecclesiastici. Cap. 50.

*Lectio I.*

Ecce Sacerdos magnus, qui in vita sua suffulsi domum, et in diebus suis corroboravit templum. Templi etiam altitudo ab ipso fundata est, duplex aedificatio, et excelsi parietes templi. In diebus ipsius emanaverunt putei aquarum, et quasi mare adimpleti sunt supra modum. Qui curavit gentem suam, et liberavit eam a perditione. Qui praevaluit amplificare civitatem, qui adeptus est gloriam in conversatione gentis: et ingressum domus, et atrii amplificavit. Tu autem, Domine.

*R.* 1. Liborius ab infantia sua semper Deum timuit, mandata ejus custodivit,  
\* Et immobilis in ejus timore permansit.

*V.* Beatus homo, quem tu erudieris, Domine, et de lege tua docueris eum. Et immobilis.

*Lectio II.*

Quasi stella matutina in medio nebulae, et quasi luna plena in diebus suis lucet. Et

quasi sol refulgens, sic ille effulsit in templo Dei. Quasi arcus refulgens inter nebulas gloriae, et quasi flos rosarum in diebus vernis, et quasi lilia quae sunt in transitu aquae, et quasi thus redolens in diebus aestatis. Quasi ignis effulgens, et thus ardens in igne. Quasi vas auri solidum, ornatum omni lapide pretioso. Quasi oliva pululans, et cypressus in altitudinem se extollens, in accipiendo ipsum stolam gloriae, et vestiri eum in consummationem virtutis. In ascensu altaris sancti gloriam dedit Sanctitatis amictum. In accipiendo autem partes de manu Sacerdotum, et ipse stans juxta aram. Tu autem.

R. 2. Obtulit holocaustum Domino, et clamavit ad Dominum pro Israel, \* Et exaudivit eum Dominus.

V. Immolavit Deo sacrificium laudis, et reddidit Altissimo vota sua. Et exaudivit.

De Epist. B. Pauli Apost.  
ad Hebraeos. Cap. 5.

*Lectio III.*

Omnis namque Pontifex ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur in iis, quae sunt ad Deum, ut offerat dona, et sacrificia pro peccatis: qui condolere possit iis, qui ignorant, et errant: quoniam et ipse circumdatus est infirmitate:

et propterea debet quemadmodum pro populo, ita etiam et pro semetipso offerre pro peccatis. Nec quisquam sumit sibi honorem, sed qui vocatur a Deo tamquam Aaron. Sic et Christus non semetipsum clarificavit, ut Pontifex fieret; sed qui locutus est ad eum: Filius meus es tu, ego hodie genui te. Quemadmodum et in alio loco dicit: Tu es Sacerdos in aeternum secundum ordinem Melchisedech. Qui in diebus carnis suae preces, supplicationesque ad eum, qui possit illum saluum facere a morte, cum clamore valido, et lacrymis offerens, exauditus est pro sua reverentia. Et quidem cum esset Filius Dei, didicit ex iis, quae passus est, obedientiam; et consummatus, factus est omnibus obtemperantibus sibi, causa salutis aeternae, appellatus a Deo Pontifex juxta ordinem Melchisedech. Tu autem.

**R.** 3. Quaesivit Dominus sibi virum juxta cor suum, \* Et praecepit ei, ut esset dux \* Super populum suum.

**V.** Quemcumque elegerit Dominus, ipse erit sanctus. Et praecepit.

Gloria Patri. Super populum suum.

## IN II. NOCTURNO.

*Ant.* 4. Doctrina, et sancto exemplo, Antistes pius emicuit; ardens in Dei templo, lucerna illa resplenduit.

*Ant.* 5. Dicat Liborio gloriam, ab illo plebs instructa; narrent ejus memoriam Templam ab illo constructam.

*Ant.* 6. Qui longe semper animum a mundi abstraxit gloria; dum diem agnovit ultimum, caeli recepit praemia.

*Lectio IV.*

Liborius honestis Parentibus in Gallia natus, et ab ineunte aetate caducarum rerum illecebras averfatus, egregiam indolem praeclaris moribus, et humanarum, sacrarumque literarum studiis adeo diligenter excoluit, ut processu temporis, probitatis, ac sapientiae proficiens incrementis, maturitatem virilis ornaret aetatis. Clero adscriptus, ac officiis functus Ecclesiasticis, amplius totum se divino cultui mancipavit, studuitque cunctos actus, cogitatusque suos ita ad rationis normam dirigere, ut nihil appeteret poenitendum. Modestia itaque, abstinentia, castimonia, aliisque virtutibus conspicuus, Pavacio Cenomanensi Episcopo defuncto,

una-

unanimes civitatis consensu, quartus ejusdem Sedis Antistes sufficitur. Tu autem.

*R.* 4. In diebus ipsius emanaverunt putei aquarum, \* Qui curavit gentem suam, et liberavit eam a perditione.

*V.* Seipsum praebuit exemplar bonorum operum in doctrina, in integritate, in gravitate. Qui curavit.

### *Lectio V.*

Ea dignitatis accessione nihil interius immutatus, in concredita sibi Domini vinea excolenda totus fuit. Assidua praedicatione, vitae innocentis exemplo, et effusa in pauperes charitate praecipue insignis, populi mores reformavit, ac potens in opere, et sermone, multos integritati vitae, fideique restituit. Domus Dei decorem, et cultum egregie promovit, aedificatis septemdecim Ecclesiis, tum propriis sumtibus, tum quorundam Nobilium fultus auxilio, in quibus pro jugi divinorum Officiorum celebratione, et affluentibus populis Sacrorum dispensatione, diversi ordinis Ministros instituit; et quarum census ita destinavit, ut eorum pars ad majoris, seu Cathedralis Ecclesiae luminaria deserviret. Vigilantem, et indefessum in suo Episcopali munere ani-

mum Deus multis decoravit miraculis; ipsius enim meritis coeci quamplurimi visum recipere, et daemones ab obsessis corporibus recedere coacti sunt. Tandem quadraginta novem annis in Episcopatu sanctissime transactis, obdormivit in Domino decimo calendas Augusti. Eum in cilicio decumbentem, et ad caelestem Patriam anhelantem, Beatus Martinus Turo-nensis Episcopus ab Angelo monitus invi-sit; cumque sua benedictione consolatus, postea mortuum honorifice sepeliri cura-vit in Ecclesia Apostolorum Petri et Pauli, quam Beatus Julianus olim construxerat, ubi sacrum Corpus multis deinde miracu-lis coruscavit. Tu autem.

R. 5. Quaesivit bona genti suae; et placuit illis potestas ejus; \* Et gloria ejus omnibus diebus.

Ps. Sancta glorificavit, et multiplicavit vasa Sanctorum. Et gloria.

### *Lectio VI.*

Verum post debellatam a Carolo Magno Saxoniam, et Christi jugo subactam, Ba-duradus Secundus Paderbornae in West-phalia Episcopus, cum adhuc rudem in fide populum ad avitas Gentilium super-stitiones sese convertentem animadvertit.

set; quo illum ab ejusmodi erroribus per  
 novum Patronum, ac Intercessorem apud  
 Deum revocaret, divino monitu ab Al-  
 drico Cenomanensi Antistite, Liborii Cor-  
 pus impetravit, et maxima cum celebri-  
 tate suscepit, anno salutis octingentesimo  
 trigesimo sexto. Sacrae Reliquiae cum  
 transferrentur, omnes illas Regiones mira-  
 signorum frequentia illustrarunt, quorum  
 fama in dies percrebescente, magnum  
 ubique Liborii nomen esse coepit. Sed  
 ejus virtus contra nephryticos dolores  
 praecipue clarescit, continuis testata be-  
 neficiis, ob quae peculiari fidelium pie-  
 tate multis in regionibus celebratur. Tu  
 autem.

*Rc.* 6. Non recedet memoria ejus, \* Et  
 nomen ejus requiretur \* A generatione in  
 generationem.

*V.* Habet vitam aeternam, et in judi-  
 cium non venit, sed transit a morte ad  
 vitam. Et nomen.

Gloria. A generatione.

### IN III. NOCTURNO.

*Ant.* 7. Dum Corpus Sancti Antistitis ad  
 Baduradum mittitur, fulgentibus prodi-  
 giis, hoc magna turba sequitur.



*Ant. 8.* Antiochi in Brunsvicensi exempla renovantur; Reliquiae ablatae impense a Deo vindicantur.

*Ant. 9.* Pretiosa tandem pignora Padera rursus accipit; jugiaque caeli munera, manantia ex illis recipit.

Lectio sancti Evangelii  
secundum Matthaeum. Cap. 25.

*Lectio VII.*

In illo tempore: Dixit Jesus Discipulis suis parabolam hanc: Homo peregre proficiscens, vocavit servos suos, et tradidit illis bona sua. Et rel.

Homilia S. Gregorii Pap.

*Hom. 9. in Evang. circa med.*

Bene (fratres charissimi) alia quinque (talenta), vel alia duo in lucrum venisse referuntur: quia dum utrique sexui praedicatio impenditur, quasi accepta talenta geminantur. Sed is qui unum talentum acceperat, abiens fodit in terram, et abscondit pecuniam domini sui. Talentum in terra abscondere, est acceptum ingenium terrenis actibus implicare, lucrum spiritale non quaerere, cor a terrenis cogitationibus nunquam levare. Sunt namque nonnulli, qui donum intelligentiae

perceperunt: sed tamen sola, quae carnis sunt, sapiunt. De quibus per prophetam dicitur: Sapientes sunt, ut faciant mala; bene autem facere nescierunt. Sed Dominus qui quinque talenta contulit, rationem positurus redit: quia is, qui nunc pie spiritalia dona tribuit, districte in iudicio merita exquirat: quid quisque accepit, considerat, quod lucrum de acceptis reportet, penset. Servus qui geminata talenta retulit, a Domino laudatur, atque ad aeternam remunerationem intromittitur, cum ei voce Dominica dicitur: Euge, serve bone, et fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, super multa te constituam, intra in gaudium Domini tui. Pauca quippe bona sunt omnia praesentis vitae, quamlibet multa esse videantur, comparatione retributionis aeternae. Sed tunc fidelis servus super multa constituitur, quando devicta omnis corruptionis molestia, de aeternis gaudiis in illa caelesti Sede gloriatur. Tunc ad Domini sui gaudium perfecte intromittitur, quando in aeterna illa patria assumptus, atque Angelorum coetibus admixtus, sic interius gaudet de munere, ut non sit jam, quod exterius doleat de corruptione. Tu autem.

R. 7. Ossa Prophetarum pullulent de loco suo, \* Nam corroboraverunt Jacob, et redemerunt se in fide virtutis.

v. Ossa ipsius visitata sunt, et post mortem prophetaverunt. \* Nam corroboraverunt.

### *Lectio VIII.*

Pigrum vero servum qua sententia feriat, audiamus. Tollite ab eo talentum, et date ei qui habet decem talenta. Opportunum valde videbatur, ut cum a malo servo unum talentum tollitur, ei potius qui duo, quam qui quinque talenta acceperat, daretur. Illi enim magis dari debuit, qui minus, quam qui plus habuit. Sed, sicut superius diximus, per quinque talenta, quinque videlicet sensus, idest exteriorum scientia designatur; per duo autem, intellectus, et operatio exprimitur. Plus ergo habuit, qui duo, quam qui quinque talenta perceperat; quia qui per quinque talenta exteriorum administrationem meruit, ab intellectu interiorum adhuc vacuus fuit. Unum ergo talentum, quod intellectum significare diximus, illi dari debuit, qui bene exteriora, quae acceperat, ministravit. Quod quotidie in sancta cernimus ecclesia, quia plerique

dum bene ministrant exteriora, quae accipiunt, per adjunctam gratiam, ad intellectum quoque mysticum perducuntur: ut etiam de interna intelligentia polleant, qui exteriora fideliter administrant. Generalis etiam mox sententia subditur: omni enim habenti dabitur, et abundabit: ei autem, qui non habet, et quod videtur habere, auferetur ab eo. Habenti namque dabitur, et abundabit, quia quisque charitatem non habet, etiam dona, quae percepisse videbatur, amittit. Unde necesse est, fratres mei, ut per omne, quod agitis, erga charitatis custodiam vigiletis. Caritas autem vera est, amicum diligere in Deum, et inimicum diligere propter Deum. Quam quisquis non habet, omne bonum amittit, quod habet, talento, quod acceperat, privatur, et juxta Dominicam sententiam in exteriores tenebras mittitur. Tu autem.

**R.** 8. Agnovit Christianus, manifestam Dei virtutem in semetipso conspiciens, quod \* Rapinae impiorum detrahent eos, \* Et anni impiorum breviabuntur.

**V.** Custodit Dominus omnia ossa Sanctorum suorum, unum ex his non conteretur. \* Rapinae.

**Gloria.** \* Et anni.

*Lectio IX.*

Talentum quippe ab unoquoque nostrum venturus Judex exigit, quantum dedit. Ut ergo de talenti sui ratione, redeunte Domino, quisque securus sit, cum tremore penset quotidie, quid accepit. Ecce namque jam juxta est, ut ille, qui profectus, est redeat. Quasi quippe peregre abiit, qui scilicet de hac terra, in qua natus est, longe discessit, sed profecto revertitur, ut de talentis rationes ponat; quia si a bona actione torpescimus, de ipsis donis quae contulit, nos districtius judicat. Consideremus ergo, quae accepimus, atque in eorum erogatione vigilemus. Nulla nos a spiritali opere terrena cura impediat, ne si in terra talentum absconditur, talenti Dominus ad iracundiam provocetur. Piger etenim servus, cum jam culpas Judex examinat, talentum de terra levat: quia sunt plerique, qui tunc se a terrenis desideriis, vel operibus subtrahunt, quando jam per animadversionem Judicis ad aeternum supplicium trahuntur. Ante ergo de talenti nostri ponenda ratione vigilemus, ut cum jam Judex ad feriendum imminet, lucrum nos, quod fecimus, excuset. Tu autem. *Cantic. Te Deum.*

AD

## AD LAUDES.

*Psal.* Dominus regnavit etc. *cum Antiphonis ut sup. pro primis Vesp. notatis.*

*Capitulum.* Ecce Sacerdus magnus etc.,  
*ut sup. I. Vesperas.*

## HYMNUS.

Jesu corona mentium  
Aeterna te colentium;  
Quo dante, non inglorius  
Tot signa dat Liborius.

En sacra lux inclaruit,  
Qua Praesul apparuit  
In sempiterno lumine,  
Tuo beatus Numine.

Hic post subacta crimina,  
Ad celsa Divum limina  
Pervenit, abstinentia,  
Precumque diligentia.

Orci furores despuit,  
Mundi caduca respuit,  
Fulsitque castimonia,  
Et morum sanctimonia.

Durabat in laboribus,  
Gaudebat in doloribus,  
Sic ille per terrestria  
Tetendit ad caelestia.

Je su, precantes respice,  
Nec vota nostra despice;  
Largire nobis gratiam,  
Et ejus efficaciam.

Fac in tuorum cordibus  
(Quae munda fac a fordibus)  
Divina crescat charitas,  
Vitaeque purae claritas.

Et tu, beata Trinitas,  
Bonique fons Divinitas,  
Nos ad salutis atria

Duc in superna Patria. Amen.

*v. justum deduxit Dominus per vias rectas*

*& et ostendit illi regnum Dei.*  
Ad Benedictus Antiph.

Libori, Pastor optime, qui morbis, et  
languoribus, mederis Dei munere, medere  
morbis animae, fac nosque sanctis mori-  
bus, ad Regna sancta currere.

Oratio, ut in Vesperis.

#### AD TERTIAM CAP.

Ecce Sacerdos magnus etc., *ut in Vesp.*

#### AD SEXTAM CAP.

*Eccli 44. 20.*

Non est inventus similis illi, qui con-  
servaret legem Excelsi; ideo jurejurando  
fecit illum Dominus crescere in plebem  
suam.

## AD NONAM CAP.

*Eccli. 45. 19.*

Fungi Sacerdotio, et habere laudem  
in nomine ipsius, et offerre illi incensum  
dignum in odorem suavitatis.

## AD II. VESPERAS.

*Psalmi de Comm. Conf. Pontif. Anti-  
phonae vero ut in primis Vesp.*

*Similiter Capitulum, et Hymn. ut in  
prim. Vesp.*

*Factum deduxit dominus per vias rectas.*

*Ad Magnificat Antiph.*

*Et ostendit illi regnum dei.*

Christi Praesul egregius, pro nobis hic  
Liborius oret Deum altissimum, ne pro  
culpa peccaminum, morbo vexemur cal-  
culi; succurrant nobis Angeli, et post  
vitae certamina, ducant ad vera gaudia.

*Infra Octavam utendum est eodem Officio,  
exceptis Lectionibus, quae dicuntur ut dice-  
bantur ante praesentis Officii concessionem.*



## DECRETUM PADERBORN.

Cum Serenissimus D. FERDINANDUS MARIA BORBONIUS Infans Hispaniarum Sodalitati titulo Sancti Liborii institutae in Cathedrali Ecclesia Paderbornensi nomen dederit, et a Reverendissimo Episcopo, eodemque Principe ejusdem Civitatis, et Capitulo Cathedralis Ecclesiae sacris Reliquiis ejusdem Sancti fuerit muneratus, ut suae erga eundem Sanctum venerationis, atque erga Episcopum, Principem, et Capitulum praedictos, grati animi specimen exhiberet, a Sacra Rituum Congregatione enixe petiit, ut suprascriptum Officium proprium cum Missa in honorem ejusdem Sancti approbare, ipsumque recitandi in die Festo Sancti Liborii Episcopi, Clero Civitatis, et Dioecesis Paderbornen. potestatem facere dignaretur. Sacra eadem Congregatio, cum jam praedictum Officium esset ab Eminentissimo, et Reverendissimo D. Card. Archinto Congregationis Praefecto, et a Reverendissimo Patre D. Carolo Erskine Fidei Promotore revisum, pio Serenissimi Infantis desiderio indulgens, gratiam juxta petita benigne concessit. Die 31. Augusti 1793.

J. Card. Archintus Praef.

L. ✠ S.


D. Coppola S. R. C. Secret.





Buchbinderei  
J. Blasberg  
Meisterbetrieb  
62331 / 45739

28. NOV. 2017





P  
06

KONVOLUT SEQUENTIUM FESTORUM